




LUNÆ DIE 17 M. DECEMBRIS A.2001

A.d. XVI Kal. Ianuarias a. MMII

105

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

COMPOSITRIX

Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0)475 47.55.18. / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DISCVSSIO OCCIDENTIS CONSCIENTIÆ

« Ut homini confidamus atque impavidi in concursu culturarum stemus, oportet radices nostræ propriæ culturæ noscamus et sentiamus. »

(Alanus Hubert, explorator)

Die 11 m. Septembris huius anni facinus inauditum, cui nullum antea par fuit, Neceboraci perpetratum est : geminæ turres eademque urbis altissimæ, ubi instituta erat Sedes Mundanæ Mercaturæ, corruerant combustæ, postquam duo æroplana vectoria a tromocratis vi abducta in suam quodque turrim consilio se impegerunt. ¶ Post stuporem, crevit ira. Quis tanti sceleris erat noxius ? Iste latere malebat, sed brevi agnitus est. Firmis argumentis Americani reum Arabem Saudianum locupletissimum, cui nomen Ussama ben Laden, accusaverunt. Qui vir patria exsul in asperam montuosamque Afganorum regionem confugerat, unde suos asseclas in orbe terrarum dispersos regebat eosque Americanis ubicumque fieri poterat quam plurimum nocere iubebat. ¶ Americani, cum bellum sibi illatum esse viderent, proclamaverunt se hoc bellum suscepturos esse usque dum hostis sive caperetur sive interficeretur. Ut par est in omni bello, imprimis scire oportebat qui essent in orbe terrarum socii, qui inimici. ¶ Vix fieri poterat ut ulla civitas tam execrabile scelus comprobaret. Quare omnes, etiam eæ quæ Americanis favere non solebant, professæ sunt se auxilium allaturas esse ad pugnandum contra terrorismum. Una exceptio fuit Afganorum civitas, cuius habenas tenebat regimen theocraticum Talibanorum, qui dicuntur. Isti puri puti Mahumetani proclamaverunt se Ussamam ben Laden nemini tradituros esse, immo vero eum tuituros esse. ¶ Quæ cum ita essent, Americani, cum præside suo fere unanimi, ingenti ope bellum in mediam Asiam intulerunt regimen Talibanorum eversuri atque Ussamam ben Laden capturi. Quod bellum, cum geri cœptum esset, diversas opiniones suscitavit, unde patebat multas gentes Americanorum præstantiam ægre tolerare cultumque occidentalem odi. ¶ Suntne re vera Occidentales criminandi ? Quæstio digna est quæ examinetur, cum apud ipsas occidentales gentes non desint homines qui hoc autument. ¶ Ut disputemus de cultu, oportet imprimis vocabula adhibenda definire. Distinguendum est, meo sensu, inter « cultum technicum » (sive artificiosum) et « animi culturam ». Cultus technicus significat statum artificiorum, quibus homines ambientem naturam domant omniaque ad suum commodum instruunt. « Mundializatio », quæ hodie dicitur, præsertim spectat ad cultum technicum et non est res nova. Omni enim

ævo ea gens, quæ aliquid novi invenit, quo opes viresque suæ augeantur, ceteras gentes superat. Quare omnibus gentibus semper necessarium fuit extranea inventa technica imprimis intellegere, deinde quam citissime adoptare, ne in servitum redigerentur vel omnino exstinguerentur. Hæc re vera sunt leges naturæ, non hominis. Non desunt exempla. Inventa in Proximo Oriente facta, quibus incohatur ætas neolithica, gentium opes tantum auxerunt, ut in toto mundo gradatim adoptarentur. Gentes, quæ ferro uti primæ valuerunt, vicinas facile invaserunt atque in dicionem suam redegerunt. Gentes, quæ equos feros cicurare et præsertim domare valuerunt, novos bellatores formaverunt, equites, quorum celer impetus diu fuit terrificus. Recentius ætas industrialis, e scientiis applicatis orta, Europæorum opes tantum auxit ut ineunte XX sæculo in toto fere orbe terrarum dominarentur. ¶ Novitates olim lente diffundebantur ; nostris vero temporibus ingens mundializationis acceleratio facta est. Quare nulli civitati cultum technicum despiciere licet, si alicuius ponderis in mundo esse vult. Progressus tamen in cultu tecnico pendent ab hominum indole et præsertim ab eorum animi cultura. ¶ Ineunte XXI sæculo patet magnas differentias superesse inter opes diversarum mundi civitatum. Locupletissimæ inveniuntur in regionibus septentrionalibus, pauperrimæ in meridionalibus. Hoc discrimen plerumque non pendet ab egestate opum naturalium apud gentes meridionales, sed ab earum animi cultura, quæ nondum habilis est ad civitatem in omnium incolarum bonum regendam. Multi homines harum regionum, cum desperent se ullam bonorum sortem unquam domi adepturos esse, emigrant atque se in occidentales civitates conferunt, sine licite sive sæpius illicite. Nullum odium eis est erga has civitates, quarum prosperitatem, quantum fieri potest, participare cupiunt. ¶ Inter gentes meridionales, ubi hæret paupertas, multæ Arabes et non Arabes cultura Islamica sunt imbutæ ; apud eas solas alitur odium erga culturam gentesque occidentales, præsertim erga Fœderatas Civitates Americæ Septentrionalis, quæ sunt inter Occidentales potentissimæ. ¶ Nostra ergo interest comperire cur cultura Islamica huius modi odium gignat. ¶ Imprimis recorderi oportet quandam irreparabilem discordiam iam ab ultima antiquitate inter Orientem et Occidentem existisse, quam testantur inter alia bellum Troianum, bella Medica, Romanorum repetita bella contra Parthos et deinde Persas. Quam inveteratam discordiam auxit Islamismus, tertia earum religionum monotheisticarum, quæ sunt origine Semiticæ. Mahumetus sua nova doctrina valuit diversas Arabum tribus inter se semper

discrepantes cōnire, unde fieri potuit, ut inopinanter tum Byzantinos cum Persas debellant. ¶ Islamismus in ingenti area impositus est, quæ ultra Arabum fines ab Hispania usque ad Extremum Orientem patet. Solum ex Hispania recessit post bella multorum sæculorum, quam rem adhuc lamentantur puri puti Mahumetani. Incursiones Byzantinorum et Latinorum cruce signatorum XI sæculo ad loca sancta Christianismi liberanda in Syriam Palæstinamque factæ dolenter hærent in Mahumetanorum memoria. Saladinus, qui dominationem Islamicam Hierosolymis XII sæculo restituit, adhuc veneratur ut heros propugnatorque Islamismi. Postea Turci Ottomanii Constantinopoli potiti sunt atque in antiquo pulcherrimoque templo Sanctæ Sophiæ meschitam instruxerunt. Sæculo XVI Turci victores viride vexillum Mahumeti usque in mediam Austriam intulerunt. De his rebus contra Christianos gestis adhuc gloriantur eruditi Mahumetani, qui hodiernos Occidentales veteribus Christianis assimilant. ¶ Magna tamen mutatio incochata est in Europa occidentali, tempore quod vocatur Renascentia. Post millennium totum culturæ Christianæ deditum, Europæi iterum invenerunt suam præchristianam culturam. Hoc modo initiantur Tempora Moderna, quæ vocant historici, quibus paulatim affirmatur ius hominis per se libere cogitandi. Inde crevit scientia experimentalis, quæ dogmaticas assertiones auctoritatis ecclesiasticæ subruit. Intra quinque recentia sæcula, occidentales homines valde dissimiles facti sunt cruce signatis; Mahumetani vero Tempora Moderna non habuerunt mentemque mediævalem servaverunt, quare ineunte XX sæculo omnes Mahumetanæ civitates iacebant inopes atque impotentes. Solus Mustapha Kemal, qui pater novæ Turciæ (Ataturk) a popularibus suis vocatus est, intellexit religionem Mahumetanam principalem causam ruinæ imperii Ottomanii fuisse. Ille novam rem publicam modo occidentali instruere valuit, repudiata obsoleta barbaricaque Corani lege. ¶ Post alterum bellum mundanum Pactolus petrolei multas civitates Mahumetanas locupletavit, quo tamen non effectum est ut aliquid mutaretur in rebus publicis gerendis, necnon in mentibus. E contrario, XX sæculo apparuerunt monitores, ut Pakistanianus Al Mawdudi vel Ægyptius Hassan Al-Banna, conditor sectæ Fratrum Muslimorum, qui barbariem culturæ occidentalis denuntiaverunt atque strictam Corani legem in re publica restituendam esse proclamaverunt. Qua lege solum affirmantur iussa Dei atque negantur iura personæ humanæ. Anno 1981 Parisiis promulgata est « Declaratio Islamica universalis », quæ iura hominis agnoscit prout cum

lege Coranica (Charia) congruant. Inde patet quantum Islamismus distet a cultura occidentali eiusque humanismo, quo extollitur persona humana. ¶ De his notionibus cogitando facilius intellegi potest, cur inter trocyratas Mahumetanos inveniuntur viri edocti. Summa cum superbia pro certo habent suam culturam ceteris præstare, quare tolerare non possunt gentes occidentales in orbe terrarum præpollere. Invidia odiumque eos ad insaniam ducunt... ❀

Gaius LICOPPE



Hæc tabula stat in via ad Meccam. Nonne patet Roma, quin etiam templum Sancti Petri, Mahumetanis ?

DE BALNEIS ET THERMIS ROMANORVM ANTIQVORVM (II)

- scripsit Ericus Palmén -

In priore¹ parte acroasis meæ, quo modo Romæ temporibus liberæ rei publicæ paullatim orta esset consuetudo balneandi, summatim exposui ac Thermas Stabianas et Thermas Fori Pompeiis ædificatas attigi. Nunc Romam transgressus de thermis ætate imperatorum ibi conditis disseram.


Non modo balnearum, verum etiam thermarum numerus Romæ inde ab ætate Augusti continenter crescebat, postquam in Campo Martio thermæ Agrippæ confectæ sunt. Egentiores cives thermis quam balneis uti malebant, quia aditus in illas nihili constabat (cf. Plin. Nat. hist. 36,24,121). Postea multi imperatores - Nero, Titus, Domitianus, Traianus, Commodus, Caracalla, Alexander Severus, Diocletianus, Constantinus - tanto amore thermarum affecti sunt, ut eorum suas quisque thermas necessario habere vellet. Optime conservatæ sunt Thermæ Antoninianæ a Caracalla annis p.Chr.n. 211-216 ædificatæ, quarum e reliquiis exstantibus etiam hodie colligi potest, quantæ molis fuerint. Si Thermas Antoninianas cum iis, quæ Pompeiis fuerant, thermis comparaverimus, facile animadvertemus longe alium in ipsa urbe Roma, alium in oppidis remotis Campaniæ hominum balneandi cupidorum numerum fuisse : his summum triceni simul homines capi potuerant, Antoninianarum autem thermarum spatia haud minus millenis quingenis sufficiebant balneantibus. Aliquanto multiplicius ibi diversarum partium calefaciendarum et aquæ distribuendæ systema excogitatum erat. Id ut bene fungeretur neve quid detrimenti caperet, assidua cura et diligentia a viris rerum peritissimis vigilari oportebat. Imprimis notanda est diversi generis caldarium varietas : præter talia caldaria, qualia in antiquissimis thermis Pompeianis fuerant, peculiaria spatia assæ sudationi destinata, hodiernæ saunæ Turcicæ similitudinem quandam exprimentia, præsto erant, quæ etiam *laconica* appellabantur. Circiter dena milia hominum curabant, ut balneantibus satis serviretur ; quorum cotidiana multitudo quinorum fere milium fuisse existimatur. In hac æstimatione faciendâ non prætermisum est thermas post meridiem demum aperiri solitas esse ac sub occasum solis claudi, quarum rerum utraque tintinnabulo indicabatur.

Thermæ Antoninianæ, ut consuetudo Romæ iam inveterata ferebat, quasi urbs minor intra maiorem condita, varii generis hortis et xystis et ambulationibus et gestationibus et palæstris necnon bibliothecis instructæ erant - quin etiam, quo splendidiorem speciem sub radiis solis præberent et balneantes delectarent, arbustis amœnis atque columnis et statuâ marmoreis ornatæ. Quædam labra e marmore provinciali e terris

longinquissimis advecto facta erant.

Thermæ Antoninianæ cum decem suis hectariis, quamvis nequaquam angustæ essent, tamen Diocletianis thermis amplitudine plane cedebant, quæ annis 298-306 ædificatæ plus tredecim hectaria complectebantur et prope trinis simul milibus balneantium spatia præbebant. Harum thermarum loco hodie non solum museum nationale est Romanum, sed ecclesia quoque celeberrima a Michelangelo ædificata, *Santa Maria degli Angeli*, et ex eis nominata est *Stazione Termini*, principalis statio ferroviaria Romana haud procul sita. Antonianarum autem thermarum ruinæ eximiam præbent scænam æstivam, ubi varia melodramata exhibentur.

Ex urbe Roma consuetudo thermas lautissimas condendi etiam in provincias percrebruit. Campaniæ oppida in hac re velut antesignanorum munere functa esse iam commemoravi. Ex oppidis eruptione Vesuvii deletis præter Pompeios mentione dignum est Herculaneum, itidemque Puteoli (hodie *Pozzuoli*), ubi Petronius, ut quidam arbitrantur, cenam Trimalchionis factam esse finxerat, ac Baiæ a scriptoribus Romanis multifariam laudatæ. Hæ regiones ad sedes balneares condendas ceteris aptiores erant propter fontes sulphureos, quorum aquam iodium quoque continentem præcipue rheumatismo laborantibus efficaciter mederi constabat. Ipsum nomen *Puteoli* Varro (Ling. Lat. 5,4,25) recte a *puteo* derivandum esse censet, « quod incircum eum locum aquæ frigidæ et caldæ multæ » sint. Excipiuntur hæc verba alia explicatione : « nisi a *putore* potius, quod putidus odoribus sæpe ex sulphure et alumine » sit locus ; quam explicationem ego missam fecerim, primum quia *Puteoli* brevem, *putor* autem lon-



Diocletianarum thermarum æcus octogonus, qui XX sæc. fuit cinemateum, postea planetarium, nunc pars musei nationalis.



In eodem æco octogono : ænea statua pugilis cæstibus instructi.

gam habet vocalem *u*, porro cum difficile sit intellectu, cur quisquam oppido, ubi habitat, tam « putidum » nomen indere velit. Ex hodierno quoque nomine *Pozzuoli* patet homines oppidum, de quo agitur, potius puteorum sedem quam putoris habuisse (cf. Ital. *pozzo* 'puteus'). Etiam hodie oppidum ab hominibus balneandi studiosis frequentatur, sed cum aliis sedibus balnearibus eiusdem regionis certat, e.g. cum *Bagnoli* atque ante omnia cum insula *Ænaria* sive hodierna *Ischia*.

Etiam *Africæ* orarum septentrionalium coloniæ Romanæ, e.g. *Cyrenæ*, *Leptis Magna* et *Colonia Marciana Traiana Thamugadi*, suas nactæ sunt thermas, item *Gallia Transalpina* aliæque provinciæ. Urbs *Francogalliæ* meridionalis *Aix-en-Provence*, olim *Aquæ Sextiæ*, non minus hodierno quam antiquo nomine se iam pridem balneorum sedem esse declarat. E reliquis eiusdem generis urbibus Romanam originem habentibus commemorantur *Aquæ Aureliæ* et *Aquæ Mattiæ*, e quibus ortæ sunt urbes Germaniæ hodiernæ *Baden-Baden* et *Wiesbaden*.

Peculiare thema dignum, quod investigetur, præbet architectura thermarum, e qua postea nonnihil exempli petiverunt etiam quorum fuit longe alium in usum ædes delineare, præsertim ætate renascentium littera-

rum. Nobis Finnis maxime cordi est bibliotheca Universitatis Helsinkiensis, quam annis millesimis octingentesimis tricesimis delineans architectus Finnus Carolus Ludovicus Engel aliquatenus formam thermarum Diocletianarum imitatus est. Eiusdem generis in ambabus est media aula concamerata, ab utroque latere oblongis spatiis quadrangulatis et columnatis cincta. Qualia in thermis Diocletianis spatia palæstris destinata erant, talia in bibliotheca Universitatis Helsinkiensis oecorum lectionis munere funguntur.

Balneatio denique una tantummodo erat e rebus, quibus homines impellebantur, ut magna multitudine in thermas convenirent, haud raro ne potissima quidem. Suam quisque rationem ibi habebat et corporis et animi recreandi. Erant, qui imprimis otianti vel temporis consumendi causa thermas frequentarent, spe adducti se cum amicis, quibus ibi forte occurrissent, inventuros, quibuscum novas iungerent amicitias. Imperator Commodus, qui anno p.Chr.n. 180 patri successit, octies in die thermas adire solitus civibus Romanis exemplum sui generis præbuisse traditur (Script. Hist. Aug. : Commodus, II,5).

Apud scriptores Romanos ea, quæ in balneis et thermis fiebant, nonnumquam in dubium vocabantur, quin etiam infamabantur. Nonnulli ibi vitam dissolutam et effrenatam agi existimabant ; e.g. Propertius poeta veritus, ne *Cynthia* sua mediis cessans *Baiis* ipsius omnino oblivisceretur moresque suos corrumpi sineret, eam his versibus impense precatus est, ut inde excederet : « Tu modo quam primum corruptas desere *Baias* : / multis ista dabunt litora discidium, / litora, quæ fuerunt castis inimica puellis, / ah, pereant *Baiæ*, crimen amoris, aquæ ! » (I,II,27-30). Antea viri et feminæ separatim balneare consueverant – quin etiam puberes filios cum parentibus et generos cum soceris lavari minus decorum iudicatum erat (cf. Cicero, Off. 1,35,129) – sed imperatorum ætate mores videntur funditus mutati esse. Tum aliquatenus invaluit consuetudo promiscue balneandi – vix quidem sine subligaculis. Haud paucis deinde et viris et mulieribus Romanis studium iniectum est balneas et thermas etiam ea spe adeundi, ut ibi forte reperirent, quibuscumq; amoris se dederent. *Hadrianus*, ut a scriptoribus *Historiæ Augustæ* nominatim commemoratur (Hadr. I8,II), « lavacra pro sexibus separavit ». Hæc veri simile est plerumque potius ad horas quam ad spatia balneandi pertinuisse. Neque enim in thermis Romanis separatim partes viris et feminis destinatae videntur fuisse, ac præterea exstat inscriptio parietalis in *Lusitania* reperta,


lex metalli Vipascensis dicta (CIL II 5181), qua conductor balnearum in illa regione sitarum iubetur eas ab hora sexta matutina usque ad horam primam postmeridianam feminis et post meridiem a secunda usque ad nonam horam vespertinam viris calefaciendas curare. Elagabalus veniam promiscue balneandi civibus permisit, sed decem fere annis post Alexander Severus usum ab Hadriano stabilitum restituit.

Quantum clamoris et strepitus e balneis hominum plenis exire potuerit, rursus Seneca in quadam epistula nos docet (56,1) : « Peream, si est tam necessarium, quam videtur, silentium in studia seposito. Ecce undique me varius clamor circumsonat : supra ipsum balneum habito. Propone tibi nunc omnia genera vocum, quæ in odium possunt aures adducere : cum fortiores exercentur et manus plumbo graves iactant, cum aut laborant aut laborantem imitantur, gemitus audio, quotiens retentum spiritum remiserunt, sibilos et acerbissimas retentiones ; cum in aliquem inertem et hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus umeris, quæ prout plana pervenit aut concava, ita sonum mutat. Si vero pilicrepus supervenit et numerare cœpit pilas, actum est ». Addit ad hæc complura alia : non modo quosdam identidem « in piscinam cum ingenti impulsæ aquæ sono » salire, sed ibidem semper adesse aliquem, « cui vox sua in balineo placet », frequenter etiam alipilum tenui et stridula voce se notabiliorem reddere neque tacere nisi « dum vellit alas et alium pro se clamare cogit » ; denique assidua incommoda esse biberarios et varii generis insitiores « mercem sua quadam et insignita modulatione » vendentes, necnon scordalos et fures (cf. 56,2).

Non mirandum est medio tali tumultu ne philosophum quidem in superiore tabulato habitantem otii domestici quidquam servare potuisse ; qui in ultimis lineis eiusdem epistolæ (56,15) dicit se alio migrare meditari. Simul tamen oblique fatetur haud inutile sibi fuisse loco tam inquieto habitare, quod ita « experiri et exercere » se potuisset ac fortasse diversi generis hominum præsentiam et mores aliquatenus perferre didicisset.

Quid plura ? De balneis et thermis Romanorum antiquorum multum et boni et mali memoriæ proditum est. Sunt, qui eas censeant imprimis luxuriandi et libidinis satiandæ sedes fuisse. Alii vero easdem Romanis non balneandi solum, verum etiam corporis varie exercendi et animi varie excolendi copiam præbuisse contendunt ; nusquam alibi pariter atque ibi cives id consecutos esse, ut sibi « mens sana in corpore sano » (Juvenalis, 10,356) esset ; sine balneis et thermis occidentale imperium Romanum fortasse iam aliquanto maturius, quam perit, periturum fuisse. In æstimando balneandi usu elegantissimam fortasse auream mediocritatem invenit versificator ignotus, auctor distichi in quadam inscriptione (CIL VI 15258) nobis traditi, quo acroasim meam concludo : « Balnea, vina, Venus corumpunt corpora nostra, / sed vitam faciunt balnea, vina, Venus ! » ❧

1. Vide Melissam 104 p. 2 ; hæc est posterior pars acroasis in Feriis Latinis Ferigoletensibus die 2 m. Aug. 2001 factæ.



Thermæ Antoninianæ

IOSEPHVS EBERLE

DIVRNARIVS NATIONE SVEBVS IDEMQVE PŒTA LATINVS ANTE HOS CENTVM NATVS ANNOS (1901-1986)

– scripsit Theodoricus Sacré –

Epitaphium

Desii hic adesse, viator.
Totus at mortuus ero non prius
quam me vocaverit nomine pius
ultimus lapidis huius spectator.
Ergo per pacem et gratiam divam
mei memento, viator, ut vivam.
(*Amores*, p. 32)

Nil, si tuos claudis, prodest :
quam non vides, umbram sentis,
neque die neque nocte
nubilum tu fugis mentis.

Sidera determinare
dicimus humanam sortem.
Sidus nostrum nube nostram
obscurabitur ad mortem. (*Amores*, p. 27)

Natus est Eberle in oppido cui nomen Theodiscum Rottenburg am Neckar, antiquum Sumelocenna ; ibidem tirunculus Latinitatem ita addidicisse videtur, ut paucas modo horulas Latinæ linguæ et litteris in gymnasio insudaret¹. Dein alio se convertit et bibliopolæ officii sese dedit. Anno autem 1927 transmissionibus quibusdam radiophonicis Stuttgardiensibus est præfectus. Paucis post annis, cum res politicæ apud Germanos penitus essent mutata, primum (anno 1933) e munere dimissus, dein (anno 1936) scripta sua divulgare est vetitus. Itaque tertii quod vocatur imperii dictatores os eius frenare ; qua necessitate coactus inferiora suscipiebat munera (nam ea tempestate oratoribus Americanis, qui Stuttgardia erant, amanuensis fuisse dicitur, item centonariis Wurtembergensibus a bibliotheca). Nil ergo mirum, si Iosephum alterius belli mundani numquam non fuisse memorem testantur carmina cum alia, tum hoc :

Atra nubes

Referunt qui remansere :
super illam tam immensam
necis officinam semper
nubem pependisse densam...

Vasta sese pandit nubes
fusca, gravis et fatalis :
iam impendet nobis ipsis
atris lucem umbrans alis.

Multi transierunt anni,
luctus ipse sensim transit,
proles subolescit nova –
tamen ista nubes mansit.

Vis emoritur colorum,
risus rerum iam evadit,
si nefandæ nubis umbra
oculos in nostros cadit.

Itaque Iosephus, bellum illud cum esset confectum, vix Germanice ut loqueretur vel scriberet sibi potuit imperare, sermone dico bellicis terroribus et nazistica nuntiorum propagatione inquinato ; hinc calamum fortasse arripuit Latinum iuxta atque Suebicum (ficticio nomine Sebastiani Blau usus).

Invitantibus autem Americanis inde ab anno 1945 acta diurna q.t. *Stuttgarter Zeitung*, moderatus est. Miro Latini sermonis amore inde ab anno circiter 1954 correptus, non solum quos ipse fuderat versus publici facere iuris coepit, sed etiam de variis scriptoribus et rebus tam antiquis quam mediævalibus commentatiunculas legentibus proposuit². Moderationis autem munere (anno ni fallor 1971) posito, otium cum dignitate amplexus in Helvetios secessit. Ibi in oppido Pontresina anno 1986 die 20 mensis Septembris obiit.

Virum hunc ad poesin natum sane movit Hermannus Weller (1878-1956) exemplum, qui Tubingæ multos per annos studiorum in universitate Indologiæ fuerat doctor. Eiusdem viri carmina in Certaminibus Hœufftianis Amstelodamensibus vel aureo præmio sunt sæpe ornata vel magna elata laude. Neque est quod infitias eam us lepiddissimos illum et elegantissimos fecisse versus vereque Ovidianos. Ipsum Apello innotuisse teste Monica Balzert affirmamus (quæ doctrix Monachi duos abhinc menses de pœta orationem habuit nondum heu divulgatam) : itaque non est dubium quin Wellerus et Apellus inter se per epistulas sint collocuti, immo primitiarum Aprinarum iudicem sese gesserit professor ille.

Distabat autem Aprina Musa a Wellero ; hic enim Ovidianarum elegantiarum arbiter et imitator ; ille vero mediæ præamabat ævi litteras Latinas. Præterea ingenia diversa ; nam Apellus a salibus Martalianis non erat alienus ; suberat etiam versibus eius amari nescio quid, quod ille plane non dubitabat quin cultus civilis, Latinitati innixus, paulatim inclinaretur et Latinitate sensim abolita barbaries in Europæ nationes tam sermone communi quam humanitatis radicibus privatas ingrueret. Nam hæc ille : « Confiteamur ævum nostrum nobis non

nimis placere ! Timemus enim ne tenor eius finem habeat in barbarie generali. » (*Laudes*, p. 8). Qui et hos rhythmos *Linguae sacrae* sive *Latinæ* dedicavit :

Ultimum si tuum verbum
in barbariæ acerbum
aërem effluerit,

suum statuet tropæum
fera victrix : Europæum
pectus quoque vixerit. (*Amores*, pp. 11-12)

Quærenti autem cur versibus luderet Latinis, avem Apellus interrogandam respondit cur caneret. Eidem cur rhythmico eos more luderet sermone nonnumquam adhibito mediævali interroganti respondit aptiorem esse eum sermonem ad res sensusque recentiores exprimendos ; qui versus Horatianis modis faceret, eum effingere fossilia vel imitari non imitabilia³. Hæc ille ante annum 1965. Postea vero metra antiqua spernere desiit atque haud secus ac Wellerus Ovidianæ studuit versificationi quippe qui disticha et heroos versus haud inelegantes perpoliret. Huic rei argumento est quod Ovidianam *Artem* aliquatenus imitatus bene dicendi artem satiricus dicam an didascalicus poeta cecinit ; quod ego carmen cum lego, venit mihi in mentem Arrii Nuri (1907-1979), venit mihi in mentem Fidelis Rädle (° 1935), quorum uterque huius ætatis mores non sine felle nec sine melle carpsit risitque. Cuius autem Apellus vestigiis sit ingressus palam facit carminis exordium:

Si quis in hoc fieri populo vult inclutus auctor,
me legat et doctus carmine clarus erit.

Huic igitur initio subiunguntur præcepta mordacia satis, risum non movere quæ non possint :

Omnia quæ scripsere patres dic stercore digna :
hoc teneas, hoc sit regula prima tibi. (...)
Materia de qua scribas me forte requiris :
ut bene succedas, elige res acidas.
Quidquid olet, sordet, squalet vulgoque tacendum est,
quidquid atrox, pravum, turpe, palustre, procax. (...)
En tua materies puerili congrua menti :
mundum pinge fimo, stercore tingue stilum. (...)
Altera discipulo nunc regula magna notanda est :

grammaticas leges despice, temne, nega. (...)
Quid tibi lex et mos, exemplum, regula, norma ?
Talia dirumpit vincula liber homo. (...)
Atque prius calamum quam sumis, numina sacra,
cœptis ut faveant, supplice voce roga :
Scilicet Hoh-Tschi-Minh, Mao-Tsé Sanctumque Fidelem
aut alios quorum nomina forte sonant. (...)
Hæc præcepta sequens tu non debile nomen
percipies – saltem crastinum adusque diem.

Magis autem assurrexit poeta, dum flebile Masada fatum canit, arcis dico Iudææ a Romanis anno 73 captæ, quam Flavius Iosephus attigerat in *Bello Iudaico*, cuius incolæ diu oppugnati doloque tandem expugnati manus sibi ipsi intulerunt. Hi enim versus robore insigniuntur rapiuntque legentes in sui admirationem :

Vivere quis vellet, cui fors parceret hostis,
libertate carens, sede soloque patrum ?
Tempore quemque suo vocat implacabile fatum,
mors simul ignavos magnanimosque ferit.
Fortiter, ut primi nos iusta resumpsimus arma,
cedamus fato, nec tremat ulla manus.
Libertatis et hæc monumentum contegat ossa,
fax feralis erit nostra Masada flagrans.

Quid ergo mirum, si Apellus ultimus fuit huius ævi poeta laureatus⁴ ? Quid si vir Camenæ tantopere amans de sæculi XX poetis optime est meritis edito illo florilegio c.t. *Viva Camena. Latina huius ætatis carmina* (Turici et Stuttgartiæ, 1961) ? Quid si Athenæi Tubingensis doctor philosophiæ h.c. (anno 1955) est creatus ? ❧

1. Valde doleo quod viri librum c.t. *Aller Tage Morgen. Jugenderinnerungen* (Stuttgartiæ, 1974) nec videre nec legere potui.

2. Cfr. i.a. *Interview mit Cicero. Gestalten und Profile* (Stuttgartiæ, 1956) ; *Lateinische Nächte* (Stuttgartiæ, 1966). His accessere carminum Latinorum editiones versionesque ; nam alia ut mittam, anno 1962 Turici divulgavit *Psalterium profanum. Weltliche Gedichte des lateinischen Mittelalters*. Lateinisch und Deutsch herausgegeben und übersetzt von J. E.

3. Cfr. i.a. J. Eberle, 'Lateinisch Dichten', in Eodem, *Interview mit Cicero. Gestalten und Profile* (Stuttgartiæ, 1956), pp. 105-129 (qua in commentatione valde laudatur Hermannus Weller) ; Id., 'Wider die Verächter des Mittellateins', in Eodem, *Lateinische Nächte* (Stuttgartiæ, 1966), pp. 215-230.

4. Anno 1961 laurea ea est donatus ; cfr. J. Eberle, 'Poeta laureatus. Eine Dankrede', in Eodem, *Lateinische Nächte* (Stuttgartiæ, 1966), pp. 286-302.

Bibliographia selecta : J. IJsewijn, *Latijnse poëzie van de twintigste eeuw* (Liræ, 1961), pp. 84-86 ; *Viva Camena Latina huius ætatis carmina* collecta et edita ab Iosepho Eberle. Cum commentariolo Iosephi et Linæ IJsewijn-Jacobs 'De litteris Latinis recentioribus' (Turici et Stuttgarti, 1961), pp. 143-151 ; H. Hommel, 'Laudes Apelli. Nonnulla de Iosephi Eberle indole ac meritis', *Vita Latina*, 13 (1961), 7-9 ; C. Arrius Nurus, 'Nuri responsio altera' - 'In poetam gloriosum', *Vox Latina*, 42 (1975), 83-85 ; *Slovník latinských spisovatelů* (composuere I. Sprincl e.a.) (Pragæ, 1984), p. 233 ; F. Sieburg, 'Das Erbe des Erzpoeten', *Frankfurter Allgemeine*, 30.V.1959 ; J. IJsewijn, 'Carmina Eberleiana', *Palæstra Latina*, 29 (1959), 129-134 ; I. Jiménez Delgado, 'Laudes', *Vita Latina*, 8 (1959), 80-83 ; T. Lazarescu, 'Etude sur l'œuvre poétique "Amores. Nova carmina" (Lateinische Gedichte), de Monsieur Josef Eberle', *Helikon*, 6 (1966), 275-294 ; F. W. Lenz, 'Living Muse', in Eodem, *Opuscula selecta* (Amstelodami, 1972), pp. 338-354 ; O. Weinreich, 'Lateinische Gedichte von Josef Eberle', in Eodem, *Ausgewählte Schriften*, ed. G. Wille, III : 1937-1970 (Amstelodami, 1979), pp. 420-424 (cfr. etiam pp. 370-375) ; J. Jiménez Delgado, *Epistulare commercium 1937-1983* (Barbastri ad Oscan, 1983), passim ; T. Löffelholz, 'Josef Eberle zum Gedächtnis', *Stuttgarter Zeitung*, 22.IX.1986, 3 ; S. Albert, 'Prof. h.c. Josef Eberle (Iosephus Apellus)', *Vox Latina*, 22 (1986), 414 ; M. Balzert, 'Iosephus Apellus', *ibid.*, 415 ; C.A. Etchegaray, 'Josef Eberle y la poesía latina contemporanea', in *Semana de estudios Romanos*, Instituto de historia,

vice-rectoria academica, 9 (Valle Paradisi, 1998), pp. 157-165 ; Th. Sacré, *Musa superstes. De pæsi sæculi XX Latina schediasma* (Romæ, 2001), pp. 31-33 ; R. Skasa-Weiss, 'Verseschmied und Journalist dazu. Zum Hundertsten des schwäbischen Humanisten, Verlegers, Mäzens und Poeten Josef Eberle', *Stuttgarter Zeitung* ('Sonderdruck', m. Sept. a. 2001) ; F. Rädle, 'De Iosephi Eberle (1901-1986) poetæ et diurnarii carminibus iucundissimis' (sub prelo).

Carmina Aprina maiora : Horæ. Carmina Latina (Stuttgarti, 1954, sumptibus poetæ ; [non vidimus]) ; *Imagines. Carmina Latina* (Stuttgarti, 1955, sumptibus poetæ) ; *Laudes. Carmina Latina* (Tubingæ, 1959) ; *Pygmalion. Xenium convivis auctoris dedicatum* (Stuttgarti, 1961) ; *Amores. Nova Carmina* (Turici et Stuttgarti, 1961) ; *Cave canem. Liber epigrammaton Latine et Germanice* (Turici, 1962) ; *Iosephi Apelli P.L. Ars bene dicendi brevis huius more dieti - Ueber die Kunst nach der Tagesmode zu schreiben* (Stuttgarti, 1970, sumptibus poetæ) ; *Echo perennis. Elegiæ, satiræ, didactica cum versione Germanica* (Stuttgarti, 1970) ; 'Rex', in K. Gaiser (ed.), *Das Altertum und jedes neue Gute. Für Wolfgang Schadewaldt zum 15. März 1970* (Stuttgarti, etc., 1970), p. 19 ; *Testamentum* ((Stuttgarti), s.a., sumptibus poetæ) ; J. Eberle, 'Masada', *Stuttgarter Zeitung*, 4.IV.1970 ('Sonntagsbeilage') ; *Carmina Latina recentiora veterum tibiis canunt nepotes* (Leichlingiæ, 1986, editio tertia), pp. 101-110.

NOVISSIMVS NVNTIVS

Comperimus Doctorem P. Cælestem Eichenseer die 19 m. Novembris maximo honoris numismate Rei Publicæ Germanicæ (*Bundesverdienstkreuz erster Klasse*) honestatum esse. Hæc crux meritoria a Rudolpho Schreier, Saraviæ cultus civilis administro, ei tradita est quia eximie meritus est de lingua Latina augenda et divulganda. Melissæ moderatores Doctori P. Cælesti Eichenseer valde gratulantur.

QVÆSTIONES HODIERNÆ
ORATIO DISCORDIÆ

- a Iacobo Dobreff exarata -

RESPONSVM DISCORDIÆ ADVERSVS PACIS INEPTIAS
Iacobi Adelberti Dobreff Michigianiani
declamatio,
cum commentariis
Ignati Iacobi Reillei Ludovicianesis

Honori, boni lectores, mihi fuit adesse eo die anni MCMX cum ipsa Discordia orationem Stockholmiæ habuit ut ad suæ sororis Pacis quærellam retaliaret. Amanuensis mihi totam responsionem ad verbum litteris mandavit quas deinde typis curavi exprimendas atque in lucem edendas. Ignatius Iacobus Reilleus

Ipsæ vobis omnibus qui quidem auditum orationes huius doctæ adveneritis non paucas ago gratias. Porro vestra multitudo est documento iam vitam philosophicam Stockholmiæ saltem vigere; voces nobis odiosæ æque ac placitæ, quemadmodum legum tabulæ philosophicarum loquuntur, etiam occasionem orationes publice habendi obtinent. Sessione hebdomadæ præteritæ convocata gavisus sum quum illa nobis carissima Pax¹ suam egisset elegantissime causam querens de sua conditione. Hodie contra alia quædam Stockholmiæ itinerata est ut suam publice causam agat apud nos; quam feminam velim Stockholmiensibus atque advenis commendare scilicet Discordiam.

His dictis ipsa quidem Discordia statura grandis subgestum ascendit capillis flavis, ut colore hordei bene siccati, qui intertexti in duas restes ex ambobus capitis lateribus eminentes sunt sub mento nodati ut faciei sint flavi margines. Omnibus partibus venusta quæ etiam suam venustatem cum exponit superiore pectore tergoque nudato æque ac talis et cruribus usque ad genua revelatis tum amplificat gerens vestem versicolore auroque micantem quam lucernæ ex aulæ lacunaribus pendentes illuminant. Ipsa cito ut ambulans spectaculum in rostra descendit. Auditores quippe qui turgidam et fœdam expectaverint pulchritudine istius quasi de cælo tacti clarissime applaudunt nolentes.

Domum equidem rusticam non liquissem neque hic stare nisi Pax mea sororum optima apud vos me argumentis publice sauciasset dicens me esse omnium malorum fontem seque bonorum. Vos amici scire oportet eam solam ex meis sororibus esse arte rhetorica politam et optime dirigere animos audientium valere quocumque velit; quam artem edidicerat et alias magnis in urbibus apud claros magistros, dum ego ruri cum matre ægrota manebam domum curans agrosque renone tecta colens ligone. Ne autem me putetis queri his de rebus, nam nihil mihi carius est matre et vita rustica citra urbis frangorem strepitumque. Verum


nunc apud vos sto optimates expers loquendi scientiæ et timens ne meæ ineptiæ vos tædio et malevolentia erga me affectos linquant.

Rogaveritis fortasse cur tam sim bono erga sororem animo hæ quum² res ita sint. Sum siquidem causa cur scientiam petiverit omnium rerum atque penitus, ne dicam medullitus, hausiverit. Volebat soror optima non modo nobis suis sororibus esse melior sed præclarior et superior ut secundum sua verba vos homines in meliorem statum dirigeret. Verum Ipsa illi sum causa cur fuerit et sit ea voluntas, nempe ut fiat melior. Quid est hæc voluntas, nisi ego Discordia inter illam et nos eius sorores, fui et adhuc sum in illa sensus interior qui iterumque susurro te, Pax, esse sororibus meliorem et maioris momenti, quæ gentes valeas omnes in rerum statum perfectiorem ducere, dummodo sororibus, præsertim Discordia, sis potentior. Nescit autem me etiam in se latere et se stimulare ad vos meliores reddendos. Ergo hac vice Ipsa, non illa, bonorum essem fons, si re vera Pax sola ullum beneficium præberet.

Mearum quidem partium non est, quamvis soror istud hic fecerit, numerare mea beneficia orbi et humanitati sive, ut quidam dicunt, hominum generi sed facere ut vos ipsi quid rerum status nunc temporis re vera vobis prosit videatis. Æqualitas enim vel ISOTIMIA inter me sororemque a vobis præferatur quoniam æqualitas secum fert vera beneficia. Æqualitas me æque ac Pacem continet. Porro dummodo neque Ipsa sim neque illa sit nimis potens fiet pro vobis optima terrarum gentiumque civitas. Animo itaque volvamus calamitates quæ acciderunt quoties illa Pax sceptrum sola teneat sive petat.

Temporis primum Romanorum in mentem venit quum Romani secundum Tacitum subegerunt Britanos in suam potestatem. Quid fecerunt nisi iniuste occidere homines et agros domosque solo æquare et terram hominibus animalibus libertate repletam reddere solitudinem? Hoc, amici, nominarunt pacem. Historici non pauci nos docent potentiores item pro Pace impotentes crucifigere, trucidare, iugulare, virgines rapere et iuvenes in servitutem cogere. Et Athenienses suam quum pacem corroborare vellent totam insulam radicibus hominibus qui recens socii fuissent purgaverunt. Neque nobis necessum est res tractare quæ multa sæcula abhinc acciderunt. Puta primum Hispanos deinde Americanos quum, ut illi dictitant, inventus esset novus orbis. Quomodo, amici, habebant hi Europæi et Americani eos autochthones³? Nihil mali reliquerunt imperfectum. Quidnam iniuste egerunt miseri autochthones nisi aliter ac Europæi habitarent? Tamen hoc iam compertum habeo, si autochthones illi Europam

invenissent hodie vos in paludibus aliisque locis vastis habitaturos fuisse. Vos ex natura sæpe quod aliter est odio habetis et timetis, qui sensus scilicet sum. Verum odium et timor, potestate inter me et sororem divisa, res æquales et æmulos homines reddunt. Æqualitas e contra regnare non potest nisi Ipsa atque soror adsumus. Sed talis æqualitas semper odio Paci est, quæ causa post breve tempus incipit Pax, ut impotens iuvenis qui eodem in loco diu sedere non valet, potestate ambire ut vos vertat ab me meque expellat a hominum consuetudine. Fatui pro dolor Pacis fautores sibi adversarios non tolerant, quod dicto citius fit belli initium et pro eorum legibus iustum. Porro Discordia expulsa Pax quum tandem sine æquali totam civitatis navim gubernat, civitas paulatim pedetemptim gradatim ad baratrum hamis dulcissimis trahitur. Iterum Roma nobis dat exemplum. Ego quidem dum regiones regnabam mediterraneas, vires Romanorum Carthaginiensium Græcorum æqua quasi lance pensitabantur paribusque momentis librata esse videbantur. Hoc fuit



*Nonne Carolus Larsson (1853-1919) hanc puellam depingens videtur Discordiam nostram descripsisse ?
Gothoburgi (u. Göteborg) in Museo Artium.*

tempus iucundissimum. Omnes Romani quoniam timebant Carthaginienses et oderant Græculos coacti sunt una laborare et discrimina inter ordines negligere ut superarent hostes. Sed Roma Pacem tunc temporis adamabat quamvis Ipsa Romam de Pacis periculis monerem. Et quoniam illa me potentior est oratrix, Roma evasit ex bellis invicta victrix. Victoria eis beneficio videbatur quæ secum ferebat Pacem ; verum fuit malorum initium. Sine æquabilitatione inter Romanos hostesque, sine me invicta Res Publica Pace Romæ Regente putrescebat intrinsecus. Et in fine eis Romanis qui tot bella gesserant et tam violenter odio Reges habuerant præmium fuit finis Rei Publicæ et reges Romani qui sibi induebant nomen Cæsaris.

Hac nocte Stockholmia hac in pulcherrima aula tot viros feminasque pulchritudine ac corporis venustate madentes video quot nusquam orbis terrarum antea conspexi. Scio autem non licere tales res confiteamini de vobismetipsis. Mihi tamen advenæ licet. Post orationem habitam velim equidem frui colloquiis paulo familiarioribus cum aliquot vobis viris et feminis ut penitus fontem vestræ inspiciam pulchritudinis, scientiæ scilicet causa.

Aulam antequam intravi in sermonem incidi cum viro qui linguam Græcam profitetur et eius uxore. Hi coniuges medullitus docti mihi dictitabant sua non interesse utrum homines sint corpore venusti et formosi ; nam mores et vim intellectus rebus humanioribus firmatos esse maioris momenti ac corporis venustatem. Utinam recte me monuissent ! Illos quum natura adornasset formis amœnis rogavi patrem meum Ipsissimum ut pro unius horæ spatio eos pulchros mutaret in fœdos. Dicto citius nasus feminæ auctus est magno et atro nævulo e quo pilus æque horridus ac ater crescebat superciliis iunctis et facies reddita est rugis saucia ; virique comæ evanuerunt et ubi fuerant nates athletæ fiunt quasi partes hippopotami posticæ dum eius pectus mamillis feminarum boum lactescentibus corroboratur. Novo et insolito mariti aspectu viso, uxor primum intus reprimere risum moliebatur deinde indecentem edidit cachinnum ; maritus contra, viso uxoris vultu, non risu sed nausea laborabat quam tandem, perinde ac balæna aquam ex capitis foramine fortissime expellit, ille litterarum doctor ex ima ventris parte prandium bile corruptum sparsit in uxoris pedes. Victrix vapulatum pugnis verberibusque illum miserum fessum uxor deseruit ut ipsa speculum reperiret. Calamitatem doctorum subridens dum relinquo pendebam animo quam potentissime scientia a Pace sive de Pace accepta et beneficium formositatis pulchritudinisque spretem animos occæarent. Siquidem sum

causa quod pulchritudo corporum ita plurimum polleat inter vel doctissimos ; quid nam docete, doctissimi, sit pulchritudo nisi discordia inter corpus bene ac venuste formatum et male fœdeve ornatum vel, quod vobis accidet omnibus, vetustate corruptum ! Ubi, ut aiunt, mel ibi fel et, ut ita dicam, ubi pulchritudo ibi Ego Ipsissima.

Vos, venustiores nunc alloquor homines qui plurimum ob corporis venustatem apud alium sexum valeatis. Quid me prorsus dominata valebitis ? Hoc saltem scire vos oportet Pax si totam hominum civitatem digitis mollibus teneret neminem ob corporis formam non iri æquiparatum cum alio. Ne unus quidem vir feminam summæ formositatis in viis spatiantem inspiceret ; nam omnes feminæ sive divites sive pulchræ sive pauperes sive turpes æque viderentur nec venustæ nec fœdæ. Ita res sese haberet, ut apud animalia quædam ubi aut proprio anni tempore quum natura urgeat aut mas quum in bestiam feminam incidat se modo venero conatur coniungere cum femina sine mora cogitatione amore. Quid nam est amor nisi discrimen quo freti primum amantes se seiungunt ab aliorum venereis congressionibus deinde matrimonio se coniungunt postremo vita fruuntur mutua ! Ortus est ergo ille amor verus atque purus ex me Ipsa quæ sim vestræ institor pulchritudinis æque ac amoris ; Pax tamen leno.

Quod equidem apud vos quosdam mulierosos perspicio, quædam sunt dicenda de Pacis regentis calamitate quæ eis impenderet. Ut iam super docui, Ego, non Pax, sum veri amoris fons. Soror mea velit ut omnes diligant diliganturque sine hominum sive matrimonii discrimine. Animo, amici, fingatis qui sit rerum status si victoriæ palmam reportaverit Pax. Cur caudices rideatis ? Ita, putatis vos et pluribus fructuosos feminis esse, legibus matrimonii et amoris abrogatis. Frustra putatis ! Quid enim voluptatis capietis, quum mariti aut non sint aut nullius sit momenti coniugibus quid uxor habeat cum alio ? Neminem falletis ; contra invitabimini in penetralia sine periculo. Vestra interest vestram famam viros fallendi et feminas pellicendi augere. At quo modo potest fama augeri, si licebit cui libet viro feminas pellicere ? Vos eritis nullius momenti neque erunt qui de vestris periculis et victis coniugibus audire volunt. Et quo nihil peius est, Pax vos reddet bonos ; nam mali apud Pacem ne vos quidem eritis.

Sat superque de Venere et amore. Velim paucis complecti condicionem sacerdotum et religionum sub Pacis regno, præsertim quia cottidie in templis et synagogis mihi ubique auditur nomen sororis quasi illa, non Ipsa, esset religionum fons et rituum sacrorum. Irascor plus in dies propter errorem eorum qui credunt

Pacem in omnibus religionibus partem agere summam et optimam. Illa, si occasionem habuerit, evertet omnes hominum religiones, ut sola illa sit omnium religio. Christus tunc æquiparabit nebulonem quemlibet. Et ne cogitatio quidem sit de christianorum et Judæorum discrimine. Eritis æquales omnes vestrum eiusdem religionis, nempe Pacis cultus. Ostendite mihi quæso sacerdotes, ne dicam zylotypes, qui iam nunc sint parati suam deponere religionem pro Pace. Ut suspicata sum, quamvis Pacem laudibus cumuletis meque criminibus, nihil admodum veri de Pacis natura sacerdotes Pacis fautores sciebatis. Quidam ex vestrum numero iam diu intellexerunt, cuius sim momenti ad suum deum vel deos corroborandos. Parvulos dulcibus solent allicere ad templa seu fustibus cogere repugnantes, deinde animos eorum optimis præceptis mergere, secundum quæ sua religio sit vera, postremum impellere eos in matrimonium cum eiusdem religionis fautoribus et ad infantes et futuros fautores gignendos. Nihil hoc re vera mihi maiori est gaudio quam quum homines fideliores separatim ab alienis sacra parant atque templa ædificant, nam hæc condicio sum, hoc inter bonos homines discrimen.

Hac iam oratione finita, domos dum itis vestras, pendere vos oportet quæ et qualia sint inter vos et alios homines vobis aut ope aut scientia aut corporis venustate aut gente aut religione inferiores discrimina. Fingite vestros coniuges ab eis inferioribus pellici, ne dicam filias, vestram sententiam apud sive custodes sive magistratus publicos nihil plus valere quam cuiuslibet pauperis, omnes orbis terrarum homines esse legibus divitiis potentia gravitate pondere æquiparatos ! Hæc rerum condicio si vobis displicet, favete mihi meisque inceptis et Pacem discriminum eversorem tandem missam facite.

Gratias vobis qui mihi loquendi occasionem præbueritis non paucas ex animo ago. Et si quidam ex vobis pulchriores et viri et feminæ velitis serpere per Stockholmiæ mecum hac nocte sequimini me exeuntem ut sit spatium inter nos et inferiores. Insulas Stockholmienses mea pulcherrima autoræda vecti eamus lustratum. ❀

1. Sine dubio non agitur de Pacis oratione quam ille Erasmus Rot. aliquot sæculis abhinc litteris mandavit. IJR

2. Ut nobis ius edendi daret postulavit Discordia a nobis ut ubi *cum* membrum pendens regere velimus ibi *quum* adhibeamus. Cur *quum* præferat patefacere volebat. IJR

3. Autochthones sunt homines aboriginei. IJR

IVVENIS WERTHER QVÆ PASSVS SIT

- excerpta in Latinum versa a Nicolao Gross -

Die 12 m. Aug.¹ Certo scio Albertum sub cælo esse hominem optimum. Heri cum eo mirabiliter rixatus sum. Eum adii, ut valedicerem ; nam cupivi in montes equitare, unde nunc scribo, et cum per conclave huc et illuc ambulo, in oculis mihi incidunt eius pistolia. - « Commoda mihi pistolia », inquam, « iter facienti ». - « Per me », inquit, « si operam dare vis, ut eadem carrices ; apud me non pendent nisi *pro forma*. » - Unum dempsi, ille perrexit : « Ex quo tam male incautus fui, nihil iam agere velim istis rebus. »

Cupivi hanc historiam noscere. - « Ruri versatus sum quartam fere partem anni apud amicum, nonnulla mecum habueram pistolia tertiolina² non caricata, tranquille dormiveram. Aliquando pluvioso tempore postmeridiano, dum otiosus eram, nescio quomodo mihi in mentem venerit : fortasse fore, ut a tergo opprimeremur, fore ut egeremus tertiolinis et fore ut - scis quidem, quomodo talia fiant. - Pistolia dedi ministro purganda et caricanda ; is autem iocatur cum puella, vult eam terrere, et - Deus scit quomodo - pistolium disploditur, quia pistillum³ adhuc inest, quo proiecto puellæ musculus manus dextræ transfodiatur et pollex conteratur. Tum exortæ mihi sunt querelæ, insuper solvendum mihi erat pro curatione medica, et inde ex eo tempore semper relinquo omnia sclopeta non caricata. Carissime, quid est cavere ? Periculum superare numquam perfecte discimus ! Licet sit - »

Scis quidem me illum diligere exceptis verbis eiusdem quæ sunt « licet sit » ; nam nonne commune est omnem sententiam generalem habere exceptiones ? Sed tam probe diligens est ille ! Si putat se aliquid præpropere, nimis generaliter, parum verum dixisse ; non desinit limitare, modificare, deminuere, addere, usque dum denique nihil valeat rei proprium. Illa autem in re longe evagatus est : equidem denique non iam audivi eius verba, in ineptiolas incubui, vultu indignato pistolii orificium fronti appressi super oculo dextro. - « Phy ! » Albertus dixit pistolio detracto, « quid hoc sibi vult ? » - « Non est caricatum » ego dixi. - « Sic quoque, quid sibi vult ? » ille impatiens, « Animo fingere non possum, quomodo homo tam stultus esse possit, ut sclopetano sibi mortem consciscat ; ipsius cogitationis tædet me. » -

« Heus ut vos homines », exclamavi, « ut de re loquamini, statim dicatis : hoc est stultum, illud prudens, hoc est bonum, illud malum ! Quidnam sibi volunt hæc omnia ? Eone perscrutati estis condiciones agendi interiores ? Certone scitis causas derivare, quibus actum sit, quibus necesse fuerit, ut ageretur ? Si ita fecissetis, non tam præpropere iudicaretis. » - « Concedes mihi », Albertus inquit, « quasdam actiones

semper mansuras esse vitiosas, licet fiant causis quibuslibet. » - Umeris concussis concessi.

« Tamen, mi care », perrexi, « huius quoque rei sunt exceptiones. Verum est furtum esse vitium : et homo, qui, ut se suosque servet a morte inediæ, proficiscitur furta facturus, estne idem dignus misericordia an pœna ? Quis tollit primum lapidem contra maritum, qui iuste indignatus uxorem suam adulteram eiusque temptatorem nefarium necaverit ? Contra puellam, quæ hora voluptuosa se tradat gaudiis amoris inevitabilibus ? Ipsæ leges nostræ, quamvis sint lento pectore et acerba diligentia, interdum commoventur, ut absterneant a pœna sua. » - « Hæc est res prorsus alia », Albertus respondit, « quia homo cupiditatibus correptus orbatu omni mente sana, et habetur pro inebriato, pro insano. »

« Eheu vos sana mente præditos ! » ego subridens exclamavi. « Cupiditatem ! Ebrietatem ! Insaniam ! Vos constatis tam quieti, a re tam alienati, vos homines bene morati ! Maledicitis potatori, aspernamini insanum, præteritis tamquam sacerdos, gratias agitis Deo tamquam pharisæus, quod vos non tales fecit quam illos. Equidem haud semel eram inebriatus, cupiditates meæ ab insania numquam erant remotæ, nec piget me utriusque rei ; nam ego comprehendi meo modo, quomodo omnes homines extraordinarii, qui aliquid effecissent magnum, aliquid quod fieri non posse creditum erat, iam antiquitus clamando dicti sunt ebrii et insani. - Sed etiam in vita communi intolerabile est quod fere omni homini aliquid libere, ingenue, improvise facienti acclamatur : istum ebrium, istum stultum ! Pudeat vos, sobrii ! Pudeat vos, sapientes ! » - « Hæc sunt denuo ineptiolæ », Albertus inquit, « tu omnia nimium intendis, et in eo saltim certe falleris, quod mortem voluntariam, de qua nunc agitur, comparas cum magnis rebus factis : cum idem nihil aliud sit nisi facinus infirmitate animi effectum. Nam sane facilius est mori quam constanter pati vitam dolorosam. »

Finiturus eram sermonem meum, nam nullo argumento magis indignor quam eo quod aliquis vilem affert locum communem, cum ego loquar ex abundantia cordis. Sed animum collegi, cum talia iam sæpius audissem sæpiusque iam de iisdem indignatus essem, et illi respondi quadam cum vivacitate : « Hanc rem tu dicis infirmitatem animi ? Oro te, ne temperis specie rerum. Gens, quæ sub iugo gemit tyranni intolerabili, licetne hanc dicere infirmam, si tandem fervescit et catenas suas distrahit ? Homo, qui territus domo sua igne accensa, omnibus viribus contentis, facile secum aufert onera, quæ quieto animo vix possit movere ; aliquis, qui cum verbis læsus sit, ira incensus pugnam

facere audeat cum sex adversariis, suntne tales homines dicendi infirmi? Præterea, mi bone, si intentio est vis, quare intentio excessa est res contraria?»

Albertus me aspecto dixit: «Ne ægre feras, exempla, quæ affers, non videntur huc spectare.» – «Sit ita», inquam, «iam sæpius mihi opprobrio est dictum rationem meam concludendi interdum similem esse vaniloquentiæ. Ergo videamus, num aliter mente fingere possimus, qualis sit animus hominis, qui constituit, ut ab se abiciat onus vitæ alioquin iucundum. Nam non digni sumus, quin de hac re loquamur, nisi sensus communicamus cum hominibus, qui eandem facturi sunt.»

«Natura humana», perrexi dicere, «habet limites suos: quæ potest sustinere gaudium, dolorem, miseriam usque ad aliquem gradum, et perit, ubi primum idem gradus superatus est. Ergo hic non quærendum est, utrum aliquis sit firmus an infirmus? Sed, num quantitatem miserix suæ sustineat? Sive miseria est moralis sive corporalis: equidem haud minus miror hominem dici ignavum, qui mortem sibi consciscat, quam mirarer, si ignavus diceretur is, qui moriatur mala febris.»

«Paradoxon! Valde paradoxon!» Albertus exclamavit. – «Non tam paradoxon quam tibi videtur» respondi. «Concedis mihi nos vocare hunc morbum mortiferum, quo natura tam vehementer affligatur, ut partim vires consumantur, partim reddantur tam inefficaces, ut natura non iam recreetur, nulla revolutione felici apta et habilis sit ad circuitum vitæ communem recreandum.»

Nunc, mi care, fac hæc transferamus ad mentem. Ecce hominem, qua sit limitatione, quomodo res ab eo percipiuntur, in eo adhæreant, cupiditate augescere orbetur omni vi sensuum quieta et pessum detur.

Frustra fit, ut homo quietus et sanus intellegat statum miseri, frustra fit, ut eum adhortetur! Eodem modo quo aliquis corpore validus iuxta lectum ægroti constans eidem ne paucillulum instillare potest virium propriarum.»

Alberto hæc videbantur nimis generaliter dicta. Itaque in memoriam ei revocavi puellam, quæ paulo ante inventa erat aquis submersa, et repetivi historiam huius puellæ. – «Bona iuvenula, quæ adoleverat in circulo angusto curarum domesticarum, laboris septimanarii, cui nulla erat spes oblectamentorum nisi die Dominico circa oppidum ambulabat cum hominibus sui generis vestimentis paulatim comparatis induta, fortasse saltabat omni die festo graviore. Ceterum vividissime et medullitus non paucas horas confabulabatur de causa alicuius rixæ, malæ famæ, cum aliqua vicina –

huius puellæ indoles fervida nunc tandem sentit desideria intima, quæ augentur blandimentis virorum; gaudia priora paulatim et gradatim ei fiunt insipida, dum tandem incidit in hominem, ad quem ea nunc refert omnes spes, mundi oblita sibi circumiecti, nihil audit, nihil videt, nihil sentit nisi illum virum, unicum, neminem desiderat nisi eum, unicum. Cum non sit corrupta inanibus delectamentis vanitatis fragilis, in unum hoc dirigitur desiderium puellæ; vult fieri uxor illius viri, vult in æternum cum illo coniuncta omnes res secundas assequi, quæ sibi desunt, vult frui omnibus gaudiis inter se coniunctis, quæ desideravit.

Promissa iterata, quibus spes puellæ redintegratur et confirmatur, blandæ palpationes audaces, quibus augentur cupiditates, totam complectuntur puellæ animam; quæ suspensa est obscura conscientia, præensione omnium gaudiorum, summa expectatione. Denique brachia porrigit, ut comprehendat omnia optata sua – tum a viro amato deseritur. Torpida et sensibus orbata ea stat ante abyssum; omnia circa eam sunt tenebrosa, nulla est spes, nullum solacium, nulla futuri opinio! Nam ab illo relicta est, in quo solo senserat positam esse se ipsam. Quæ non videt mundum longinquum ante se situm, non multos, a quibus damnum sibi resarciri potest, sibi videtur sola esse, ab omnibus hominibus desolata et derelicta et cæca, in angustias adducta, horribili angore animi sui se deorsum præcipitat, ut morte sibi circumdata restinguat suos dolores omnes. – Vide, Alberte, hæc est historia nonnullius hominis! Et dic, nonne est hic casus morbi? Natura cum nullum inveniat exitum labyrinthi virium intricatarum et inter se contradicentium, homini moriendum est.

Væ isti, qui illam aspiciens dicat: 'En stultam! Si exspectasset, si sivisset tempus valere, desperatio esset sedata, inventus esset alius puellam consolaturus!' – Quasi quis dicat: 'En stultum, qui febris moriatur! Si idem exspectasset, dum vires suæ recrearentur, suci sui redderentur meliores, tumultus sanguinis sui sedaretur: omnia bona fuissent eventura, ut viveret usque ad diem hodiernum!'

Albertus autem, qui hanc comparisonem nondum perspexisset, nonnulla obiecit, cum alia tum hæc: metantummodo locutum esse de simplici puella; quomodo homo prudens, qui esset ingenio minus tenui, qui plures rationes perspiceret, excusari posset, se non intellegere. – «Mi amice» exclamavi, «homo est homo, et paulum id intellectus, quo quis sit, parum aut omnino non valet, si sævit cupiditas et urgemur finibus humanitatis. Potius – de hoc», inquam,

« alias », petasum apprehendi. O quam completum erat cor meum – et nos unus ab altero discessimus, unus ignorans, quid alter sentiret. Haud facile enim fit in hoc mundo, ut unus alterum intellegat. ❧

1. E Iohannis Volfgangi de Gœthe opere c.t. Die Leiden des jungen Werther, a. 1774.

2. Theodisce *Terzerole*, quod verbum (similiter ac nomen *Muskete*, fr. *mousquet* – quis ignoret illos illustrissimos « Tres *muscatarios » ab Alexandro Dumas ingeniose descriptos ?) originaliter spectat ad falcones. Falco mas dicitur Italice *terzeruolo*, Latino verbo mediævali *tertiolus* idque propter sententiam popularem, qua tertius quisque falco in nido insidens putabatur esse

mas (mirum !). Primo comparatus est globulus plumbeus e fistula emissus cum falcone masculino se rapidissime in prædam præcipitanti ; postea nomen globuli translatum est ad ipsum sclopetum sive pistolium. (Ceterum nomen *mousquet* simili modo ducitur a nomine falconis sive *spervarii, cuius pectus est « muscatum » (Italice *moschetto*), i.e. maculis obsitum, quæ similes sunt muscis (i.e. bestiis insectis, quæ Francogallice *mouches* appellantur). Ergo, ne nimis longus sim : Illud genus pistoliorum, quod Werther dicit *Terzerole*, Latine dicam (pistolium) *tertiolinum,-i n. (syllaba pænultima longa), quia eius globuli proiciuntur tanta velocitate, quanta in prædam se præcipitat falco masculinus sive +tertiolus.

3. Talia pistolia ex adverso carricanda (Theodisce : *Vorderlader*) eo carricabantur, quod glandes plumbeæ et pulvis pyrius bacillo adhibito immittebantur per fistulæ orificium. Huic bacillo (Theodisce *Ladestock*) imposui nomen, q.e. pistillum,-i n.

SEMINARIA LATINA

Latini conventus anno proximo habendi in proximo fasciculo fusius describentur. Interea iam nuntiari possunt hæc :

Seminaria Latinitatis vivæ a D.re Cæleste Eichenseer instituta fient Morsaci in Helvetia a die 21 in diem 27 m. Iulii a. 2002 et fortasse Maretio in Belgica a die 21 in diem 27 m. Augusti a. 2002. Qui participare cupiunt, scribant ad Societatem Latinam, Universität FR 5.2, Postfach 151150, D-66041 Saarbrücken.

Conventiculum Lexintoniense in America fiet a die 19 in diem 29 m. Iulii a. 2002. Qui plura scire cupiunt scribant ad prof. Terentium Tunberg : clatot@pop.uky.edu

Feriae Latinæ in abbacia Ferigoletensi fient a die 19 in diem 26 m. Iulii a. 2002. Qui participare cupiunt, scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121 chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières.

Seminarium Siciliense fiet a die 4 in diem 11 mensis Augusti a. 2002. Qui participare cupiunt, scribant ad prof. Georgium Di Maria, Istituto di Filologia latina, Viale delle Scienze, I-90128 Palermo. moderator@cirlapa.org

LATINVS SCRIPTOR MAXIME IUVENIS

Inter scriptores, qui symbolas ad nos mittere solent, palma iuventutis deferenda est Antonio d'Otreppe, duodecim annos nato, qui sponte sua, sine ullo instigatore aut correctore, ad nos misit nonnullas symbolas, inter quas edendum elegimus nitidum carmen hic subiunctum. Facere non possumus quin gratulemur illi iuveni Latinistæ, sicut eius magistris, de tam pulchro entusiasmo.

Vox

Vox est res nobilissima humana
Quæ est pulchrior quam rosa
Ea sæpe utamur
Ut inter nos loquamur
Tu, domna, et tu domne
Potestis vos intelligere

DE HIEROSOLYMORVM EXPVGNATIONE

- simplicissime narrat Francisca Deraedt -

Adnotatio historica : posteaquam Arabes Mabumetani Byzantinos e Palæstina, iam e compluribus sæculis Christiana, VII sæculo expulerunt, ex omnibus Christianitatis regionibus homines Hierosolyma adire perrexerunt, ut in basilica Sancti Sepulcri et aliis sanctis locis Christi memoriam colerent. Hi peregrini a regentibus Mabumetanis satis urbane accipiebantur usque X sæculum. Tunc autem Byzantini magnum impetum in Arabes fecerunt atque in Palæstinam irruerunt fere usque Hierosolyma. Inde crevit fanaticismus Mabumetanus, qui ad fastigium ductus est a califa Fatimida Hakim, qui anno 1009 basilicam Sancti Sepulcri et alia loca sancta Christianorum destruxit. Propter hæc maleficia de quadam expeditione ad loca sancta liberanda cogitare cæperunt in Occidente. G.L.

Die 7 m. Iunii a. 1099 cruce signati pervenerunt ad civitatem Hierosolyma, quam, ut ipsi modeste narant, « mirabiliter obsederunt »¹. Initio pugnatum est vario successu, unum fere mensem. Hæc obsidio eo difficilior fuit, quod cruce signati fame et siti maxime laborabant ; panis enim exspectabatur e navibus amicis, quæ morari videbantur, atque aqua, in propinquo deficiens, magnis itineribus apportabatur utribus consutis corio boum et bufalorum, quibus fœtida reddebatur.

Tum principes Francorum statuunt « civitatem ingeniare »². Lignis e longinquis terris allatis, exstruunt bina lignea castra aliaque machinamenta, quæ circumcirca sollerter disponunt. Interea Sarraceni urbem muniunt.

Tandem, omnibus instructis, die 13 m. Iulii cruce signati parati sunt aggredi. Sed antequam urbem invadant, episcopi et sacerdotes præcipiunt Deum sollempni processione³ celebrare, cum precibus, eleemosynis et ieiuniis.

Duobus diebus post, Veneris die, incohatur oppugatio. In castello suo ligneo fortiter pugnat dux Godefridus⁴ et comes Eustachius, frater eius. Nihil tamen prodesse videtur ; omnes paulatim pavescunt. Appropinquante autem hora « in qua Dominus noster Iesus Christus dignatus est pro nobis sufferre patibulum crucis »⁵, aliquid necessario debet accidere, aliquid re vera accidit : miles Letholdus⁶ nomine ascendit in murum urbis perturbatque defensores civitatis. Statim eius commilitones procurunt, paganos occidunt, decollant, persequuntur usque ad templum Salomonis⁷. Auctor huius historiæ narrat tantam fuisse cædem, ut milites in sanguine pedes ponerent usque ad talaria.

Interea Raimundus de Sancto Egidio⁸ acriter præliabatur ad meridiem. Defensores turris Davidis se ei dedunt portamque aperiunt.


Ubique sanguis, ubique strages. Mox per totam urbem cruce signati currunt, domos expoliant, aurum,

argentum, equos, omnes divitias capiunt quas possunt. Tum demum gaudio pleni Sanctum Sepulcrum adeunt ad Christum Salvatorem adorandum.

In tectum templi Salomonis confugerant multi Sarraceni viri et mulieres, quibus Tancredus⁹ suum dederat vexillum tamquam signum tutelæ. Quam fidem neglegentes cruce signati postero mane in tectum ascenderunt et Sarracenos nudis ensibus trucidaverunt ; ei, qui decollari noluerunt, se de summo templo præcipitaverunt. Hanc rem Tancredus est maxime indignatus.

Ut narrat auctor anonymus huius sacræ expeditionis, « tales occisiones de paganorum gente nullus umquam audivit nec vidit et nemo scit numerum eorum nisi solus Deus ».

Denique princeps civitatis electus est dux Godefridus ; patriarcha autem electus est vir sapiens et honorabilis nomine Arnulfus. ❧



Hierosolyma e monte Sion conspecta a Vellelmo Henrico Bartlett delineatore Anglo (1809-1854).

1. *Histoire anonyme de la première croisade*, éditée et traduite par L. BREHIER, Paris, Les Belles Lettres, 1964, p. 194.
2. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, IV p. 361 : ingeniare urbem, machinis bellicis oppugnare.
3. C. du Fresne Sieur du Cange, *op. cit.*, VI p. 515: processio, sollempnis comitatus.
4. Godefridus Bullionensis, Godefroi de Bouillon (1061-1100), dux Lotharingiæ inferioris.
5. i.e. sive hora circiter nona (nostra) matutina, cum Christus crucifixus est, sive meridie, cum tenebræ factæ sunt, sive hora tertia postmeridiana, cum expiravit (Mc 15, 25-37) ; testimonia mediævalia de hora expugnationis variantur.
6. v. Liétaud ; fuit Tornacensis, i.e. oriundus ex urbe Belgica cui nomen hodiernum est Tournai (Tornacum).
7. i.e. ad meschitam Omaris (sive El Aksa) eius loco exstructam, iuxta Sanctum Sepulcrum.
8. Raimond de Saint-Gilles (1042-1105), comes Tolosanus.
9. Tancrede de Hauteville (+1112), nepos Roberti Guiscard qui Byzantinos ex Italia Sarracenosque e Sicilia expulit.

BIBLIOTHECA LATINA
DE NOVIS LIBRIS

Th. STORM, *De quadam confessione*, in Latinum vertit R. Habitzky, Leichlingæ, Domus editoria Rainardi Brune, 2001, 88 pp.

Rainardus Brune, editor Latinitatis vivæ amantissimus, iam complura opera Latina lectoribus feliciter proposuit, inter quæ nonnullas fabulas Germani scriptoris Theodori Storm (1817-1888) a Rocho Habitzky Latine conversas. In hac narratione agitur de difficili quæstione euthanasia, quam auctor magna humanitate attingit. Reinhard Brune Verlag, D-42799 Leichlingen.

GITÈ, *Obsides. Periculum quoddam Alexii Medulii et Aristidis 'O Tempora'*, fabula nubeculata in Latinum conversa a G. Immè, Mazet Saint-Voy, Tarmeye, 2001, 6 pp.

Domus editoria Tarmeye discipulis proponere solet libellos, quibus opera Francogallica Latine legant, ut excerpta librorum Alphonsi Daudet et novellas Vidonis de Maupassant. Ecce nunc facinora Alexii Medulii et Aristidis 'O tempora' dicti, a Genovefa Immè in Latinum lepide, ut solet, conversa, quibus discipuli fabulam criminalem legentes iucunde exercebunt Latinitatis scientiam.

Editions Tarmeye, F-43520 Mazet Saint-Voy.

I. LISOVY, *Nulli rosæ deest spina*, Pali, M.A.S. Supplementum, 2001, 62 pp.

Risus est proprium hominis ! Contra tristitiam nostrorum temporum Igor Lisovy bonum invenit remedium : potius ridere quam flere. Ecce ergo collectas facetias Latine, Theodisce et Bohemice narratas, quibus præter risum etiam vitia nostra valde humana non inscite stigmantur...

Hic libellus petendus est a Domina Genovefa Immè, 21, boulevard Recteur Sarrailh, F-64000 Pau.

ÉRASME, *Vieillir*, ed A. Vanautgærden, Notulæ Erasmianæ IV, Bruxellis, La Lettre volée à la Maison d'Érasme, 2001, 211 pp.

In historia litterarum numerari non possunt carmina senectuti dicata. Etiam Erasmus anno 1506 Carmen de senectute dedicavit amico suo Vilelmo Cop, medico et humanistæ, cuius textus Latinus hic proponitur ornatus translatione Francogallica et doctissimis commentariis Iohannis Claudii Margolin. Alii textus Latini adiuncti sunt, ut *Deploratio mortis Ioannis Frobenii* aliaqua poemata et epitaphia. Erasmiani autem carminis ecce, lector, prægustatio quædam monitoria :

At nunc mihi oscitanti

Qualibus eheu nugis quanta est data portio vitæ !

Satis hactenus, miselle,

Cessatum, satis est dormitum ! Pellere somnos


Nunc tempus est, Erasme...

Musée de la Maison d'Érasme, 31, rue du Chapitre, B-1070 Bruxelles. erasmusav@skynet.be

A. VANAUTGÆRDEN, *L'Homme qui tomba des étoiles*, Bruxellis, La Lettre volée à la Maison d'Érasme, 2001, 128 pp.

« Liber non est qui non aliquando nihil agit » : hoc adagio aperitur liber ab auctore excogitatus cum pone Museum Domus Erasmianæ, cuius est rector, novum crearet hortum. Qui liber est tamquam somnium de Erasmo, de horto, de domo, de vita circumcirca, somnium illuminatum artificiosis photographematis Iohannis Pauli Brohez. Auctor voluit textum suum Latine insuper proponi; quæ versio facta est a Francisca Derædt. Exstant etiam versiones Anglico-Latina et Nederlandico-Latina.

Musée de la Maison d'Érasme, 31, rue du Chapitre, B-1070 Bruxelles. erasmusav@skynet.be



In hoc fasciculo !

Ad lectorem [G. Licoppe] p. 1

De balneis et thermis Romanorum antiquorum (II) [E. Palmén] p. 3

Iosephus Eberle diurnarius natione Suebus idemque poeta Latinus [Th. Sacré] p. 6

Oratio Discordiæ [I. Dobreff] p. 9

Iuvenis Werther quæ passus sit (III) [N. Gross] p. 12

Orbis Latinus p. 14

De Hierosolymorum expugnatione [F. Deraedt] p. 15

Bibliotheca Latina p. 16



FASCICVLI MELISSÆ CONSPECTVS ANNI 2001

- 100 G. Licoppe, Allocutio Bruxellis in Domo Erasmiana die 17 m. Feb. a. 2001 habita
Th. Sacré, De Desiderii Erasmi Colloquiis
R. Deprez, De reginellis eligendis
- 101 G. Licoppe, Quo vadis, institutio Latina ?
G. Licoppe, De venenis brevis historia (IV)
S. Kalegin, De re publica Adygeia
F. Molina Morenus, De polo mystico
A. Van Dievoet, A.E. Radke, Th. Sacré, Musa Latina
N. Gross, Baronis Mynchusani pericula Latine edita
- 102 D. Morgan, De seminario Brasiliensi
V. Jenniges, De usu et varietate linguarum in Europa cogitationes
A. Ricius, Dea oratoria
- 103 G. Licoppe, Nova spes in Francogallia
T. Pekkanen, De sauna sive balneo Finnico
Th. Sacré, Inedita pœmatia C. Arrii Nuri
I.M. Lecomte, Nuntii ex Congo
N. Gross, Iuvenis Werther quæ passus sit (II)
G. Licoppe, De Mahumetanæ architecturæ originibus (VI)
A.E. Radke, A. Van Dievoet, Musa Latina
- 104 T. Tunberg, De novo instituto Latino
E. Palmén, De balneis et thermis Romanorum antiquorum
Th. Sacré, Iosephi Morabito epigrammata inedita
A.E. Radke, Discipulis lingua Latina non colenda est, sed linguæ Latinæ discipuli
I.L. Vives, Exercitatio linguæ Latinæ
F. Deraedt, de cruce signatis
A.E. Radke, V. Czapiewski, Musa Latina
- 105 G. Licoppe, Discussio Occidentis conscientiæ
E. Palmén, De balneis et thermis Romanorum antiquorum (II)
Th. Sacré, Iosephus Eberle diurnarius natione Suebus idemque poeta Latinus
I. Dobreff, Oratio Discordiæ
N. Gross, Iuvenis Werther quæ passus sit (III)
F. Deraedt, De Hierosolymorum expugnatione